

IV. (De excommunicatione et irregularitate ex abortu oriunda.) Clericus confitetur: ad abortum consilium dedi; interrogatus, num quis effectus sit secutus et abortus revera sit factus (— propter reservationem necnon irregularitatem —) respondet: dubito et incertus sum, num mulier praegnans fuerit; id quidem scio, ipsam adhibuisse remedia ad promovendum fluxum menstruum et, in quantum recordor, antequam ego istud consilium illi dederim. Interrogatus, num leges ecclesiasticas de abortu id temporis scivisset, irregularitatem tamquam poenam abortus dicit se ignorasse, etsi crassa ignorantia. Quaeritur igitur, num iste clericus consilio suo excommunicationem et irregularitatem incurrerit.

Ad I. Abortus definitur: „Foetus immaturi artificialis eiectio“ sive „Expulsio ovuli seminati ex utero ante illud graviditatis tempus, quo foetus eo usque evolutus est, ut extra uterum vivere possit.“ Abortus vero crimen etiam tum committitur primo quidem si infans in utero occidatur, sicut fieri solet in cranotomia, cephalotripsia, perforatione, diminutione infantis, quas dicunt medici; secundo si fluxus menstruus sanguinis, qui conceptione facta cessat, artificiali modo promovetur; nam is vere est abortus (Olfers, medicina pastoralis p. 72). Distinguitur abortus directus, si remedia ipsa per se et primario eiectionem vel occisionem foetus intendunt et caussant, quamquam ab agente sanatio matris primario intenditur ex abortu sequens; et abortus indirectus, quando remedia adhibentur ad morbum matris sanandum, etiamsi per accidens sequatur eiectio vel occisio foetus praevisus, sed non intentus. Ex constitutionibus Pontificum, novissime ex constitut. Pii IX. „Apostolicae Sedis“ mulcantur excommunicatione Episcopis sive Ordinariis reservata: „Procurantes abortum effectu secuto.“ Haec poena incurritur ab iis tantum, qui directe abortum committunt, quia id solum proprie „procurare abortum“ dicitur; deinde incurritur effectu tantum secuto, ita ut conatus tantum sine effectu grave sit peccatum, at reservationem non incurrat. Cum ad omnem reservationem et censuram incurrendam requiratur peccatum certum, omne dubium iuris vel facti a censura et reservatione excusat. Quapropter in nostro casu dicendum clericum excommunicationem a Papa Ordinariis reservatam non incurrisse; nam utrumque dubium intercedit primo quidem dubium facti, quia dubitat, num mulier revera praegnans fuerit, deinde quia dubitat, utrum consilium ante an post factum dederit, i. e. num consilium suum efficax abortus causa fuerit; si autem fluxus menstruus facta conceptione vere stetisset et remediis adhibitis iterum provocatus esset, id quod verbis saltem

nostri casus non exprimitur, quae adstruunt remedia tantum adhibita fuisse, de effectu vero tacent, tunc quidem de facto abortus constaret, remaneret autem dubium de efficacia consilii; adest etiam dubium iuris; dissentiunt enim doctores, num ex constitutione Pii IX. etiam cooperantes sicut prius censura innotentur, propterea practice dicendum est consulentem clericum censuram non incurrisse. Aliud fortasse dicendum est, si abortus, quod palam fit, etiam numeratur in casibus quos Ordinarius reservavit sibi sive cum excommunicatione, sive sine illa, quod ex legibus cuiusque dioecesis iudicandum est.

Ad II. Quod attinet ad irregularitatem, irregularitas ex delicto, quamquam proxime et in se est impedimentum suscipiendi vel exercendi officii clericalis, tamen vere habet rationem poenae, eiusque gravis et extraordinariae, cum vere grave omnino sit, ad certa officia perpetuo fieri inhabilem; quapropter 1^o in dubio iuris vel facti irregularitas non censetur adesse, excepto aliquo casu homicidii, videlicet, quando de caussa physica mortem ex se caussante culpabiliter posita constat atque etiam effectus seu mors secuta est, sed propter concursum plurium dubitatur, num singuli vel quis ex eis vere efficaciter mortem induxerit; et quod attinet ad consulentes, etiamsi constet de facto, in casu dubii, num consilium revera caussa homicidii fuerit, sunt qui probabiliter ab irregularitate excusant, quae sententia etiam S. Alphonso attentis rationibus non videtur dicenda improbabilis (l. 7. n. 371). 2^o practice probabile est irregularitatem ex delicto non incurri ab eo, qui non noverit legem ecclesiasticam sive delictum prohibentem, sive poenam irregularitatis infligentem, dummodo non sit ignorantia crassa vel supina. Atque etiam hic excipiunt ex usu et praxi doctores casum homicidii. Attamen S. Alphonsus (l. 7. n. 350) quamquam practice suadet, ut dispensatio petatur, tamen non audet reprobare eam opinionem, quae etiam in casu homicidii negat adesse irregularitatem, si non solum poenae sed ipsius ecclesiasticae legis prohibentis ignorantia adest.

Porro advertendum est: quamquam non semper, si de homicidio sermo est, abortus comprehendatur, tamen ex constitutionibus Sixti V. et Gregorii XIV. expresse statutae sunt poenae homicidarum, et nominatim praeter excommunicationem irregularitas in omnes, qui abortum procurant vel in eo cooperantur, dummodo agatur de foetu animato. Hanc autem animationem videmur computare posse secundum rationem legum antiquarum canonicarum, quae post 40, resp. 80 dies a conceptione animationem per rationalem animam fieri putabant. Cum enim recentes hac de re leges latae non sint, videtur omnis antiquae

legis restrictio in odiosis retineri posse. E contrario tamen advertendum, quamquam ex constitutione Pii IX. excommunicatio ad solos „procurantes abortum“ restricta sit neque amplius ad tantummodo cooperantes extendatur, ad hos tamen extendi irregularitatem, si quidem huius poenae antiquitus latae mutatio facta non sit. Ita sapienter Lemkuhl, theol. mor. II. n. 1003, 1012, 1013, 1015.

His ergo suppositis dicendum clericum nostrum irregularitatem non incurrisse. Incurrunt quidem irregularitatem non solum procurantes, sed etiam consulentes abortum, et ignorantia, cum sit crassa, eum non potest excusare; sed non constat de facto abortus (homicidii), id quod requiritur ex dictis, ut etiam in casu dubii irregularitas adesse dicatur, et insuper dubitatur, etiam supposito facto, num consilium caussa efficax fuerit abortus.

Würzburg.

Univ.-Prof. Dr. Göppert.

V. (Wie verhalten sich die allgemein gestatteten Motiv-Officien zu jenen, welche bereits früher einzelnen Diöcesen oder Territorien gewährt waren?) I. 1. Da

im Verlauf des 17. Jahrhunderts die Concessionen von Motiv-Officien sich mehrten, so sah sich die Riten-Congregation veranlaßt, ein für allemal die Tage festzustellen, an welchen die Recitation solcher Officien überhaupt nicht statthaft sei; dieserhalb erließ sie unter dem 10. März 1706 ein Generaldecret, welches auch dann als bindende Norm gelten sollte, wenn bei der Gestattung von Motiv-Officien eine Beschränkung der freien Tage nicht vorgezeichnet wäre. Diesem Decret zufolge ist die Recitation der Motiv-Officien unzulässig: 1. an den Tagen, auf welche ein verpflichtendes Officium, sei es duplex oder semiduplex, einfällt oder verlegt werden muß; — 2. an den Ferien des Advents, der Quadragesima und der Quatember, an allen Vigilien, dem Rogations-Montag und jener Ferie, an welcher ein Sonntags-Officium zu anticipiren ist. — Das allgemeine Indult vom 5. Juli 1883, welches die neuen Motiv-Officien einführte, hat die für dieselben „freien Tage“ bedeutend vermehrt. Während nach wie vor ein zu verlegendes Officium sein Vorrecht vor den Motiv-Officien behauptet, sind fortan „geschlossene Zeiten“ für dieselben nur die Passionszeit und vom Advent die letzten 8 Tage, auf welche die großen Antiphonen fallen, sowie der einzige Aschermittwoch (vgl. die den Motiv-Officien vorangestellte Rubrik).

2. Ihrer Idee nach sind Motiv-Officien bloß gestattet, nicht vorgeschrieben: sie sind Officia ad libitum; den neuen Motiv-Officien ist dieser Charakter durch das einführende Indult ausdrücklich gewahrt. Bezüglich der älteren Motiv-Officien aber gilt als Regel, welche auch durch einen Erlaß der Riten-Congregation vom 23. Mai